

necessariam illationem ortam ex ipso præcepto obligatur adhibere rectitudinem non absolute, sed si velit facere actum, præceptum autem affirmativum non sub conditione præcipit ut si velit operari, sic faciat, sed absolute præcipit ut faciat. Præceptum autem negativum directe præcipit ut non faciat tale opus in illa materia. Ex consequentia autem præcipit quod ex suppositione quod velit in ea materia operari recte operetur, quia alias faceret contra præceptum negativum. Unde non requiruntur hic duo præcepta alterum negativum alterum affirmativum, sed unicum negativum sufficit, quod directe tangit prohibitionem actus, ex consequenti autem obligat, ut si velit in ea materia operari recte operetur, quia alias non servaretur præceptum negativum, unde hoc ipso quod obligat ad sui observationem, obligat ad hoc secundum.

XXXIV. Ad primam confirmationem respondetur concedendo quod actus malus nihil retinet de bonitate opposita, sicut ægritudo in se nihil retinet de sanitate: aliud enim est quod subjectum habens ægritudinem possit retinere aliquid de sanitate, ut si est æger pedibus, potest esse sanus oculis, aliud quod ipsummet ægritudo, aut ipsummet peccatum possit aliquid retinere de opposita forma. Hoc secundum non est verum, sed peccatum hoc ipso quod est actus pravus, et privatus rectitudine, nihil in se retinet de bonitate morali.

XXXVI. Cum autem instatur, quod si ita est privatus ille actus rectitudine debita, habebit privationem in facto esse, et non in fieri, negatur consequentia. Non enim consistit privatio in facto esse in hoc solum quod una forma opposita nihil in se includat de alia qua privatur, sed in hoc quod privat aliqua forma dis-

ponente, et habente ordinem ad ulteriorem aliam formam, sicut dispositio ad formam substantialem, sanitas ad vitam. Et quando privatio est circa formam mediam, seu dispositivam, relinquit autem formam ulteriorem, et ordinem ad illam, quem non totaliter tollit, tunc illa privatio potest habere magis aut minus, quia potest magis, vel minus relinquere de ordine ad formam ulteriorem: sicut ægritudo licet tollat sanitatem, et relinquat subjectum non sanum, quia tamen relinquit vitam, quæ est radix sanitatis, et potest plus vel minus accedere, et disponere ad tollendam illam, vel rei relinquendam, ideo respectu hujus formæ radicaliter solum sibi oppositæ dicitur suscipere magis et minus, non quia sanitatem aliquam sit necesse relinquere saltem in ea parte corporis, in qua est ægritudo. Sic peccatum est ægritudo animæ, et opponitur virtuti, seu regulationi rectæ immediate, mediate autem ipsi rationali naturæ quæ est radix regulationis illius. Et ita peccatum dicitur suscipere magis et minus, secundum quod magis vel minus diminuit de ipsa inclinatione naturæ, et opponitur syndæresi, atque naturali ipsi legi, quam totaliter non potest extinguere. Ipsi autem regulationi, et rectitudini actus in se totaliter opponitur, eamque evacuat sicut ægritudo, sanitatem in ea parte in qua est ægritudo, licet non evacuet vitam. Et sic non oportet quod relinquat aliquid bonitatis morali in actu, sed sufficit quod relinquat aliquid de radicali bonitate morali, scilicet ipsam naturam rationalem, ejusque inclinationem ad bonum, quam non extinguit peccatum.

XXXVII. Nec est simile de cadavere, aut corpore mortuo, vel de aere tenebroso, quia in corpore mortuo nulla relinquitur inclinatio, neque

principium vitæ, sed omnino principium vitæ extinctum est, neque in aere est aliquod principium efficiendi lucem, quia hoc solum est in ipso luminoso. Quod autem in corpore mortuo sit potentia obedientialis ad vitam, et in aere diaphaneitas ad recipiendam lucem, non est ad rem, quia neutrum horum facit debitum, neque inclinationem ad formam illam privatam per principium habendi illam, et sic non habet privationem in fieri, sed in facto esse ad talem formam. Si autem non totaliter tollat lucem, ut umbra, hæc suscipit magis et minus, quia solum tollit splendorem intensum lucis, non totaliter ipsam lucem. De quo amplius dicitur infra circa questionem LXXIII. Et sic non sequitur quod peccata sint paria, quia licet omnia privent bonitate sibi opposita, et regulatione debita actui, tamen quia in aliqua materia est privatio rectitudinis magis diminuens, magisque opposita ipsi inclinationi naturali, et legi naturali per syndæresim propositæ quam in alia; ideo magis dicitur unus actus privatus rectitudine legis naturalis, quam alius, et unum peccatum non æquale alteri.

XXXVIII. Ad secundam confirmationem respondetur, peccatum non dici peccatum omissionis ex sola carentia rectitudinis, quam deberet habere, sed dicitur peccatum omissionis ex carentia actus, quia scilicet non facit, aut non vult, peccatum autem commissionis ex positione actus, qui privatur rectitudine sibi debita. Omittere enim est non agere quando potest, et tenetur: committere vero est agere quod non debet, et ideo illa contrariatur præcepto affirmativo, hæc præcepto negativo. Et penes hoc distinguuntur peccatum commissionis, et omissionis, non penes carentiam rectitudinis debitæ, quæ utrique communis est.

XXXIX. Ad id vero quod dicitur de speciebus prodigalitatæ, et avaritiæ, et aliarum quæ sunt extreme contrariæ, respondetur quod licet illæ privationes videantur physice ejusdem speciei, tamen moraliter sunt diversæ. Physice enim attenditur privatio, et carentia alicujus formæ penes realem ablationem entitatis illius. Et sic cum utrumque vitium extreme contrarium tollat eandem virtutem in sua entitate, sicut et omnia peccata mortalia entitatem eandem gratiæ, ex hac parte privationes illæ physice conveniunt. At vero moraliter attenditur privatio penes rationem voluntarii, et motivi regulantis per rationem; fundatur enim illa privatio, et imputatur homini ut voluntaria, et sic destruit virtutem, quæ etiam voluntaria est. Et quia ratio voluntarii, et motivum ejus diversum est in prodigalitate, et avaritia; ita et privatio illa ut moralis, et secundum ordinem, et habitudinem ad diversas causas, unde originatur, diversa est, sicut dantur diversæ maculæ peccatorum in eodem homine, quasi diversæ umbræ causatæ a diversis corporibus impediens lucem. Diversitas autem umbrarum, et privationum peccati, non solum attenditur penes rem privatam entitative in se, verbi gratia gratiam, aut virtutem, sed ex parte fundamenti, et causæ, seu motivi voluntarii, unde causatur, ut moralis, et peccaminosa sit.

## ARTICULUS IV.

*Utrum actus internus possit esse simul bonus, et malus moraliter?*

I. Constat ex dictis moralem speciem supervenire actui entitative considerato quasi accidens illius, quia sicut in artificialibus materiæ

naturalis, quæ elaboratur per artem superveniunt figuræ, vel formæ, aut habitudines consecutæ per artem, ita in moralibus supponitur entitas actus physica, et superadduntur respectus ad objecta, ut regulata regulis rationis penes quos moralis species constituitur, quæ tamen comparatione ad physicam entitatem actus accidentaliter comparatur, sicut dixit D. Thomas supra quæstione prima, articulo tertio ad tertium, ubi inquit: « Quod fines morales accidunt rei naturali, et e converso. » Quare cum in eodem actu possint concurrere plures ex his moralitatibus, quæ accidentaliter se habent comparatione ad physicam entitatem actus, verbi gratia plures bonitates, vel malitiæ ut ex objecto, ex fine, ex circumstantiis, merito veniunt duo inquirenda. Alterum, an possint in eodem actu inveniri, simul bonitas et malitia, non quidem ex eodem principio desumptæ, sed ex diversis, una ab objecto, altera a fine, vel circumstantiis. Secundum est, an in eodem actu possint plures species morales ex æquo concurrere, ita quod immediate ponatur sub duabus speciebus moralibus, sicut idem corpus recipit duo accidentia non subordinata inter se, ut colorem, et frigus. Et communiter istæ species desumuntur ex fine, et objecto, quando simul concurrunt in eodem actu. Nam duplex objectum in eadem linea morali non potest ex æquo simul concurrere in eodem actu. Circumstantia autem si dat speciem actui primo, et per se est, quia transit in conditionem objecti, ut sequenti disputatione dicemus. Si vero non dat speciem primo, et per se, sed constitutam supponit, illa quæ ex circumstantia desumitur, solum accidentaliter se habet. Quare communiter iste concursus duplicis speciei in eodem actu provenit ab objecto, et fine, quia

finis etiam est objectum respectu actus interioris, seu imperantis, et inde derivatur, et participatur ad actum exteriorem. De primo ergo dubio disputabimus in hoc articulo, de secundo in sequenti.

II. Igitur difficultas proposita in præsentis articulo procedit quando in eodem actu concurrunt bonitas ex objecto, et malitia ex fine, vel e contra; sicut quando aliquis dat eleemosynam ex motivo vanæ gloriæ tamquam ex fine, aut quando quis furatur ut det eleemosynam, ubi finis est bonus, et objectum malum. Difficultas est, an maneat ibi simul bonitas, et malitia ortæ ex diversis motivis; an sola species malitiæ, vel quæ tandem species maneat. In qua difficultate est aliquorum sententia, quod idem actus prout egreditur ab agente in illo casu possit simul esse bonus, et malus ex illis diversis principiis. Hæc sententia attribuitur Ægidio in secundo, dist. xxxvi, quæst. II, articulo III; sequitur Lorca hic disp. xxviii; Granados tract. IX, disput. IX, et tract. XIV, disp. I, et alii recentiores, et Scotistæ. Attribuitur etiam Cajetano in hac quæstione xviii, articulo VIII et IX, et tomo primo, opusculorum, tract. xvii, in responsionibus responsione XIII. Alii etiam eam sequuntur, qui cum eodem Cajetano infra quæst. LV, tenent posse virtutem elicere actum malum ex fine extrinseco, verbi gratia elicere jejuniū propter inanem gloriam, et consequenter dicunt illum actum esse in duplici specie morali, altera bona, altera mala.

III. Fundamentum sumitur in primis ex auctoritate D. Thomæ, qui in hac quæstione xviii, articulo IV ad tertium, inquit: « Quod nihil prohibet actui habenti unam prædictarum bonitatum deesse aliam, et secundum hoc contingit actionem quæ est bona secundum speciem suam, vel circumstantias ordinari

ad malum finem, vel e contra. » Et fit ponderatio in illo verbo habenti unam prædictarum bonitatum; ergo supponit D. Thomas, quod actus retinens unam bonitatem deficit ei alia; ergo deficientia unius bonitatis non tollit, quin maneat aliqua bonitas in actu, et sic erit simul bonus, et malus ex diversis motivis: illa enim deficientia sufficit ut actus malus sit, quia malum ex quocumque defectu. Et articulo septimo sequenti dicit: « Quod quando objectum non est per se ordinatum in aliquem finem, sed per accidens se habet ad illum, tunc est in duabus speciebus, sicut accipere alienum per accidens se habet ad eleemosynam. » Ergo quando finis disparate se habet ad objectum, bene potest concurrere duplex species bona, et mala in eodem actu. Denique in quæstione secunda de malo, articulo IV ad secundum, concedit quod actus malus non potest bene fieri, ex quo enim actus malus est non potest esse integrum bonum; sed actus bonus potest male fieri, quia non requiritur quod sit integrum malum, sed sufficit quod sit particulariter malum. Et posuerat exemplum in eleemosyna quando fit propter inanem gloriam; ergo potest idem actus simul esse bonus et malus, quando ex sua specie malus non est.

IV. Fundamentum ex ratione desumitur. Primo, nam cum quis dat eleemosynam propter inanem gloriam, vel reddit debitum uxori in loco sacro, ille finis non destruit bonitatem ex objecto, nec depravatur actus in se, alias ille actus haberet duplicem malitiam, aliam ex fine, scilicet inanis gloriæ, aliam ex objecto depravato, scilicet ex eleemosyna vitiata, cum tamen hoc sit impossibile, quia illa eleemosyna depravata esset contra misericordiam; non est autem contra illam, quia potius misericordiam operatur in

pauperem. Et qui furatur ut tribuat eleemosynam non committit duplicem malitiam, quin potius ille finis, et bona intentio diminuunt de malitia furti; ergo non habet ille actus duplicem malitiam, sed unam tantum; retinet ergo suam bonitatem, alias si illa destrueretur, loco illius subrogaretur malitia.

V. Confirmatur a simili, quia in naturalibus potest idem subjectum retinere bonitatem quoad aliquid, et malum quoad aliud, ut ægrotare pedibus et non manibus, habere pulchros oculos et deformes aures, vel nasum, aquam carere frigore et habere humiditatem quæ sibi est bona. Quare ergo repugnabit eundem actum secundum unam rationem, aut motivum in adæquatum esse bonum, et secundum aliud malum? Licet enim ad integrum, et perfectum bonum, et perfectum dictamen prudentiæ totum illud requiratur, non tamen ut vere, et in re dicatur retinere aliquid bonitatis, et non totam amittere.

VI. Secundo fundatur hæc sententia in aliquibus exemplis, in quibus actus virtutum procedunt ex malo fine, et tamen vere procedunt a virtute: ergo aliquam bonitatem moralem habent. Patet consequentia, quia a virtute a qua procedunt sub ratione formali virtutis, et motivo bono procedunt; ergo illi actus aliquid bonitatis retinent, scilicet procedere a virtute sub illo motivo. Antecedens probatur variis exemplis. Nam in virtutibus moralibus, qui restituit alteri quod debet ex malo fine ut noceat alteri cum illa pecunia, nihilominus facit actum justitiæ in restituendo, et iudex qui innocentem liberat ex vana gloria, et qui devote audit, vel dicit missam ut videatur ab hominibus, faciunt actum justitiæ, vel religionis, quia adimplent præceptum, quo tunc tenentur, quod adimpleri non potest

nisi actu bono, non actu malo. Similiter qui accedit cum attritione supernaturali ad sacramentum confessionis, et simul ut captet inanem famam apud confessarium, illa attritio est ex pravo fine, et tamen est actus virtutis, quia est supernaturalis, et sufficiens ad justificationem in sacramento; ergo bene potest aliquid esse bonum ex objecto, et vitari ex fine; item in virtutibus theologis, cum quis assentitur veræ fidei, illamque confitetur propter idem motivum vanæ gloriæ, vel ut complaceat principi, seu propter aliam causam temporalem, talis actus ex fine quidem est peccatum vanitatis, sed tamen ex objecto est vere, et proprie actus fidei supernaturalis, ut patet manifeste, quia per illum actum assentitur rebus fidei propter testimonium divinum, et Ecclesiæ propositionem, in tantum quod si iste cesset antea infidelis, per talem assensum, etsi factum ex vana gloria, fidelis remaneret, et tamquam catholicus deberet reputari, ergo talis actus est verus, et supernaturalis assensus fidei; ergo est actus virtutis supernaturalis. Denique voluntas suscipiendi baptismum, vel tolerandi martyrium conjuncta fini vanæ gloriæ sufficit ad consecrationem justificationis, et gloriæ; ergo est actus virtutis, alias non esset dispositio ad gratiam, et ex alia parte est malus ex fine vanæ gloriæ; ergo non repugnat eundem actum simul esse bonum et malum.

VII. Nihilominus dicendum est, eundem actum, non posse simul esse bonum et malum moraliter, ita ut ex objecto bonus remaneat, et ex circumstantia sit malus. Hanc sententiam plures sequuntur auctores præsertim Thomistæ, ut videre est apud Gregorium Martinez in hac quæstione XVIII, art. IV, dub. IV, et quæst. XIX, art. I, dub. II: sequuntur Montesinos hic disputatione XXIII,

quæst. V; Curiel super quæst. XVIII, art. VI, dub. I; Cornejo disp. V, dub. II; Suarez hic disp. VIII, sect. I; Vazquez disput. LXX, cap. II, et ex antiquis Gabriel in secundo, distinct. XL, quæstione I, artic. II, et Gregorius, distinctione XLII et XLIII.

VIII. Et potest intelligi hæc sententia generaliter tam de actu interiori, seu elicitio a voluntate, quam exteriori, seu elicitio ab aliis potentiis, vel solum de interiori, et a voluntate elicitio. Secundo, potest intelligi de actu habente simul bonitatem, et malitiam, vel etiam habente successive, ita ut prius sit actus bonus, deinde sit malus, manente eodem numero actu etiam si actus interior sit. In præsentia non disputamus modo in hoc secundo sensu, est enim specialis difficultas infra disputatione undecima tractanda, an idem actus interior possit successive fieri de bono malus, vel e contra eodem actu numero manente in entitate sua; an vero debeat entitative actus mutari si mutatur actus internus moraliter. Nam de actu externo certum est posse eundem actum fieri modo male, modo bene successive, ut qui comedit carnes die non prohibito, et continuat tempore quo jam currit præceptum, et tamen comestionis actus est idem. Hoc enim non difficile intelligitur in actu externo, in quo moralitas sive bona, sive mala solum habetur per extrinsecam denominationem ab actu interiori derivatam. In ipso autem actu interno non currit hæc ratio, quia moralitas illius sumitur per ordinem ad objectum (ut sæpe dictum est) et talis ordo dissolvi non potest, nisi dissolvatur entitas actus cui insita, et innata est illa habitudo, et ordo ad objectum etiam in linea morali.

IX. Quapropter de hac quæstione nihil agimus in præsentia, sed tota difficultas est de ipsa bonitate, et

malitia, quando sumitur ex diversis motivis, et principiis in eodem actu, an ita opponantur, quod una destruat aliam, ita ut idem actus non possit simul admittere illas duas moralitates alteram bonam, alteram malam, etiamsi una oriatur ab objecto, alia a circumstantiis, vel fine, quæ sunt diversa principia, sed taliter se habeant malitia et bonitas, quod una destruat aliam, nec simul in eodem actu possint manere, illudque denominare, sed illa etiam, quæ est ex circumstantiis destruat eam, quæ est ex objecto; an relinquat. Et quoad hoc non facimus differentiam inter actum internum, et externum etiam si ab externa potentia eliciatur, quia cum in externo actu derivetur bonitas, vel malitia ab interiori, a quo fit denominatio moralis, si in interno non repetitur simul bonitas, et malitia, sed una extinguit, et tollit aliam, non potest in exteriori actu compati simul utraque denominatio, quia hæc ex interiori, et non aliter debet provenire, et ibi non invenitur utraque simul, ergo neque in exteriori.

X. Sic ergo nostra sententia, et conclusio sumitur meo videri clare ex D. Thomæ cujus doctrina est in hac quæstione XVIII, art. V, quod circumstantia quandoque sumitur, ut differentia essentialis objecti, et tunc potest dare speciem actui morali. « Et hoc, inquit, oportet esse quancumque circumstantia transmutat actum de bonitate in malitiam, non enim circumstantia faceret actum malum, nisi per hoc quod rationi repugnat. » Quæ doctrina D. Thomæ universalis est pro omni circumstantia mala (ut sequenti disputatione expendetur) omnis enim circumstantia mala transmutat actum de bono in malum, absolute enim malus actus est, qui ex circumstantia est malus, quia ad malum sufficit quicumque defectus.

Non est autem possibile, quod circumstantia transeat in conditionem objecti, nisi destruat bonitatem, quæ ex objecto sumenda erat; si enim relinquit bonitatem ex objecto desumptam, jam relinquit specificationem moralem ex illo, quia ex objecto sumitur specificatio etiam in moralibus; ergo circumstantia adveniens manebit in ratione circumstantiæ, quia supponit specificativum, et consequenter essentiam constitutam in tali specie; ergo accidentaliter se habet.

XI. Si ergo omnis circumstantia mala adveniens actui ex objecto bono transit in conditionem objecti, utique transit in conditionem specificativi. Vel ergo destruit specificativum bonitatis, et sic habemus intentum, quod non compatitur simul speciem boni et mali; vel constituit aliud specificativum in illo actu, et sic habebit actus duplex objectum specificativum, et duplicem essentiam, seu speciem, quarum una non comparatur ad aliam, ut species accidentaliter, sed æque essentialiter, quod in sententia D. Thomæ est impossibile, cum uni actui non possit assignari nisi unum objectum adæquatum, duo autem æque immediata, et adæquata non potest intelligi, nisi multiplicando actus. Et præterea hæc species secunda non se haberet, ut circumstantia primæ, neque accideret illi, sed esset æque immediata cum illa, cum tamen illi actui eleemosynæ accidat esse ex circumstantia vanitatis, multo magis quam esse ex fine charitatis. Quomodo autem D. Thomas appellet illam speciem disparatam supra exposuimus disputatione præcedenti; est enim disparata, sed destruens priorem, non relinquens immunem.

XII. Similiter D. Thomas in hac quæstione XIX, art. II ad secundum dicit: « Quod velle bonum quando non debet, si referatur ad volitum, tunc